

24

SVLP. ODORVS IACCHO
RADOTIO SVO.

Quid teris in Siculis pereuntia tempora gerris,
Doctius Actæa numen Iacche dea?
Quidue oleum perdís? quid arenæ semina mandas?
Quid tennes Graia carpis ab arce vias?
Salicet æquorios venaris in aëre pisces,
Et mediis vanum quæritur ales aquis.
Non stat ad angustos quam poscis fama maniplos,
Magnus ab immenso ducitur axe deus:
Vt vada non vastæ fulcant mediocria puppes,
Nec petit Euxinas parua phasellus aquas:
Vt nihil hircanos lassat formica leones,
Nec rapit exiguum torua leena gregem:
Vt Iouis haud humiles prædatur ab aëre turdos
Ales, at huic maior præda volucris erit:
Magna ita non paruis quæretur gloria rebus,
Gloria non Pilios interitura dies:
Magna decent animi partas sed tempore dotes,
Non nisi magna petunt fulmina missa Ioue.
Proderit in vili dignos tabescere casu?
Maior & exiguum musa repandet opus?
Qui valet Herculeas annis miscere palæstras,
Nomen & Anteis addere posse iugis,
Fœlix, nec feris postponit commoda rebus
Lidius, & tepidis vberiora focis:
Ingenio nihil est docto celebratius, & nil
Hoc melius, superi quod micat igne poli:
Non Babylon magna donati laude labores,
Nec Iouis Elei coelum imitata domus,
Fama quæ Pyramidum Pharias iactata per oras,
Aufonii non laus amphitætra ducis,
Nec Mausolei diues fortuna sepulchri
Mortis ab extrema conditione vacat,
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Pluribus aut annis pondera victa ruent:
At non, ingenio quæsitum nomen, ab ævo
Excidit, & tantum proripit asta decus.
Hunc studio æternum peperit Durandus honorem,
Illius ætherium dum dea carpit iter:
Aurea dum Clarii referat penetralia, & altas
Fretus ab immenso numine pandit opes:
Ille manu nostra, dicam, emaculatio exit,
Iudicii partes non nisi purus obis:
Aufus Phasiacis primus lucrarier vndis,
Castaliæ potum flumine numen aquæ:
Improba ne nostras turparent otia mentes,
Laudis & in partem Marte trahere meæ